





12 1773 A 4 21  
DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

DE

# HYPOTHECARVM LEGALIVM PRAEROGATIVA

QVAM

AVCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ALTORFINA

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES  
AC DOCTORIS PRIVILEGIA  
RITE OBTINENDI

DISCEPTATIONI PVBLICAE

DIE xxx. MART. A. S. R. CCCCCLXXIV


PROPOSUIT

M. FRANCISCVS XAVERIVS SCHMID  
RAITTENBVCHENSIS FRANCO.

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLI MEYERI.







DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS]

DE

HYPOTHECARVM LEGALIVM  
PRAEROGATIVA.

§. I.

Extant commentationes eruditissimae de iure pignoris et hypothecae cum Romano, tum Germanico, viro- rum utriusque juris peritissimorum, consummatissimi in primis Iuris Consulti, illustris olim IUSTI HENNINGI BOEH- MERI \*), cui, tanquam recentioris aetatis Papiniano, tantum non omnes, qui ueram, non simulatam, iuris philosophiam profitentur, assurgere solent. Interea nec operam et oleum ii perdere uidentur, qui uariorum hac de re sententias uarias uel ad concordiam reuocare student, uel ad id animum ad- uertunt, ut ad ius Romanum in Germania commune in foris patriae rite ac prudenter applicandum studium suum conse- rant. Nos, publicum doctrinae ac diligentiae qualiscunque specimen inaugurale edere iussi, *de hypothecae legalis praeroga-*

A 2

*tiua,*

*tiua*, cuius existentiam pro iurium in Germania usitatorum diuersitate uel scimus uel credimus, dispicere atque adeo quaestione a uiris maximi nominis in utramque partem agitari solitam tractare constituimus: qua in re ita uersabimur, ut non solum iuris peregrini et domestici placita inter se comparemus, sed et ex iis non nihil addamus, quae cum instituto nostro aliquam similitudinem aut connexitatem habere uideantur. Quem iuuenilem laborem qualemque lectoris iuicio benigniori etiam atque etiam commendamus.

\* In duabus dissertationibus, quarum altera de diverso pignoris et hypothecae iure, Hal. 1718. altera de praerogativa hypothecarum publicarum, ib. 1744. prodiit, utraque uero in exerc. ad Pand. T. III. prior p. 802. sqq. posterior autem p. 938. inserta est.

### §. II.

In pignerationibus, ut cum uiro suae aetatis summo, N. H. GVDLINGIO loquamur<sup>1)</sup>, non soli credimus personae, sed fundis, agris, arboribus, colliculis, aedificiis, secundum elegans illud MARTIALIS<sup>2)</sup>:

Quum rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis;

Idem, si pro me spondet agellus, habes.

Quod mihi non credis, ueteri, Thelesine, sodali,

Credis colliculis arboribusque meis.

Nec attendimus, sitne res mobiliis, nec ne, frugifera, an steriles, corporalis, an incorporalis? Quod si rem ipsam pugno quasi seruamus atque tenemus, nomen *pignoris* (eines Faust-Pfands uel eines handhabenden Pfands) adhibemus; sin uero res eadem in debitoris possessione remanet, eam hypothecam appellamus, (ein Unterpfand, item eine Pfands- oder Unterpfands-Verschreibung.) Pignus autem aeque ac hypo-

=====

5

hypotheca ex principiis juris ciuilis uniuersalis, quod uulgo pro iure naturali, diuino atque immutabili uenditari solet, praeuiam aliquam obligationem ponit, cuius in securitatem uel pignus accedit, uel hypotheca constituitur. Sed iure antiquo Germanico, aiunt nonnulli<sup>3)</sup>, in pignore dominium, donec creditum exsolueretur, translatum fuit, quoniam, compilatore iuris prouincialis Saxonici teste<sup>4)</sup>, ille, qui res suas oppignerat, eas aequa faltem ad aliquod temporis spatium alienasse uidetur, ac si easdem uendidisset. Hinc olim creditor saepius dicebatur ein Pfandherr, isque ex pignore fructus percipiebat, nullis redditis rationibus. Hinc etiam magistratus olim in oppignerationibus rerum immobilium pariter ac in alienatione suum interponebant consensum atque auctoritatem. Nihilo tamen minus nostra iam aetate iuris Romani hac in re placita maiorum nostrorum mores uincere putamus, et quamvis nonnullae forte conclusiones in negotiis, ad principes et ordines imperii spectantibus, ex antiqua pignoris definitione Germanica supersint, quam quidam enchiridiorum artifices fati temere in libellis suis repetunt<sup>5)</sup>; dominium tamen in negotio pignoris formaliter transferri aut umquam per solum pignoris contractum translatum fuisse negamus atque pernegasimus.

1) In *iure naturae et gentium* Cap. XXIII. §. 69.

2) L. XII. epigr. 25.

3) cf. *Viri de iuri scientia elegantiori non minus, quam de rebus moribus que patriis iisque legitimis immortaliter meriti*, I. G. HEINECCI element. I. Germ. lib. II. tit. XI.

4) Lib. II. art. 24.: ein jeglich man mag seines guts vvol mit recht anig oder los verden, ob er es verkauft, versetzet, oder auflässt, oder verjährret es gegen seinen Lehnsherrn, oder ob es ihm vertheilet vvird zu Landrechte oder zu yvelcher Weife es obstehet, unbezvungen.

5) Vid. IO. RUDOLPH, *ENGAV in element. I. G.* cui pignus est conuentio, qua debitor in creditorem transfert rei aliquius dominium, soluto debito re-

uoçandum, lib. III. tit. 14. §. 160. cf. IOACH. POTGIESER *de indeole et nat. pign.* Marb. 1722, 4. et BOEHMERVS in diff. *de diuerso pignoris et hypothecae iure cap. II. §. 6.*

### §. III.

Iam in iis non occupantur, quae in institutionibus iuris communis doceri solent. Instituti nostri memores tantummodo obseruamus, hypothecam, formae ratione habita, diuidi in *expressam*, quae pacto legitimo expresso nititur, et *attitam*, (melius legalem) quae a legibus sine hominum conventionibus indulgetur. Illam iterum triplicem esse tradunt iuris communis interpres, *publicam* nempe, quae coram magistratu vel iudice aut alia persona publica constituitur; *quasi publicam*, quae in instrumento a tribus testibus subscripto conceditur, et *priuatam* denique, quam quis in instrumento priuato alteri relinquit. Adduntur regulae sequentes<sup>1)</sup>. I) Hypothecis quidem uariis, eiusdem autem qualitatis concurrentibus, rem omnem ex ordine temporis ita diiudicandam esse, ut hypotheca tempore prior censenda sit quoque iure potior. II) Variis autem hypothecis diuersae qualitatis una existentibus, *hypothecam publicam*, *quasi publicam*, nec non *tacitam* sive *legalem*, praeserendam esse *hypothecae priuatae*<sup>2)</sup>. *Hypothecae* igitur legales a nonnullis ad classem *hypothecarum publicarum* referuntur. Sed hac in re magnus appetit dissensus inter legum interpres, quorum maior pars omni tempore huic sententiae obloquuta est.

1) His aliisque regulis, quibus in concursu creditorum totum inter eos negotium gubernatur, non opus habemus, si aequitate niteretur legibusque approbaretur consilium BERGERI in ele<sup>ct</sup>. discept. forens. p. 1254. quod eo spectat, ut posthabita in concursu creditorum *prioritate* intricata, omnes ac singuli copias et facultates, quantum earum superest, pro rata participant.

2) Loco ceterorum omnium allegamus Virum cl. IO. CONRAD. SIGISMUND. TORP in explicatione iuris ciuilis priuati ad tab. VI. §. 22. pag. 207. seq.

### §. IV.

---

### §. IV.

Inter recentiores legum interpres, qui hypothecam tacitam, sive legalem, speciem hypothecae publicae esse aiunt, agmen ducunt VLRICVS HVBERVS<sup>1)</sup> et AVGVSTINVS A LEYSER<sup>2)</sup> , ex quibus hic, ut pignus tacitum aequipollere pignori judiciali contendet, rationes suas ita colligens: nam ius, inquit, quod lex ipsa et auctor eius, princeps, tribuit, non minus publicum est quam id, quod magistratus, minister legis et principis, concedit. Et fides publica magis forsitan pericitaretur, si hi, qui legum auctoritate subnixi, se suaque debitori crediderunt, ab his, quibus index fuit, excluderentur. Denique lex II. Cod. qui pot. in pign. in qua priuilegium hypothecarum iudicialium (publicarum) fundatum est, eas non omnibus, sed iis saltem hypothecis, quas quis sibi ex priuatis instrumentis vindicare contendit, praefert.

1) In praelectionibus iur. civil. lib. XX. tit. IV. §. 18. ubiis quoque §. 26. quaestioneum ceu notabilem et perplexam tractat: quid iuris sit in concursu hypothecae conventionalis tempore primae, non registratae et legalis tempore sequentis, denique alterius conventionalis posterioris, sed registratae? In hoc pignorum consilio idem Vir summus rem ita decidit, ut ostendat, regalam: qui uincit uincet te; nemo magis te uincit, locum quidem inuenire in aequabili successorio, non autem ubi diuersi ordinis credidores, ut hic, inter se configunt. Quare in eiusmodi causie figura legali hypothecae idem locus assignandus esset, quem extra concursum hypothecae posterioris registratae habuisset, neque per eam collisionem legali hypothecae praedictum fieri oporteret, adeoque publicam hypothecam auferre pecuniam priuatae hypothecae debitam, et si plus rettet, hoc postea legali hypothecae cedere.

2) in meditat. ad Dig. sp. 226. m. 1. In partes LEYSERI praeter alios discessit illufris et consultissimus CAROL. FRID. WALCH in introductione in controversias iuris civilis recentiores inter iurisconsultos agitatas, (len. et Lips. 1771. 8.) Sect. IV. Cap. III. m. 2. §. 13.

### §. V.

Scimus, apud Romanos ante tempora Imperatoris LEONIS nullum fuisse discrimen inter hypothecas publicas et priua-



priuatas, sed hypothecas qualescunque ex sola aetatis ratione aestimatas fuisse, nisi forte ex peculiari priuilegio hypotheca legalis prioritatem accepisset. Est igitur uerosimilimum, ante Imperatoris LEONIS tempora distinctionis inter publicam et priuatam hypothecam uel nulla uel rariora uestigia occurtere, cum bisce temporibus sine ulla distinctione hypotheca tempore prior iure quoque potior fuerit<sup>1)</sup>. At enim uero aduersus scripturas priuatas, in quibus alteri ius pignoris constituerit, fraudis exceptio (id quod lubenter concedimus) saepius forte proposita fuit, quae in concursu creditorum contra tertium non tam facile eliditur, quam contra debitorem ipsum, manum suam agnoscentem<sup>2)</sup>. Quae rationes absque omni dubitatione mouerunt Imperatorem Leonem, ut is circa annum 469. hypothecis in publico instrumento confectis uel trium uirorum subscriptione munitis temporis praerogatiua prae hypothecis in priuatis scripturis constitutis indulgeret simulque (en legis rationem!) hominibus astutis omnem clandestinae fraudis occasionem praescinderet<sup>3)</sup>.

1) Lex 4. Cod. qui pot. in pign. hab.

2) L. 32. pr. Dig. de paſt. l. 7. Cod. de prob. cf. laudatus BOEHMER in diff. de praerogatiua hypothecarum publicarum Cap. 1. §. 10.

3) in leg. II. Cod. qui pot. in pign. cuius uerba ita se habent: *scripturas, quae saepe affolent a quibusdam secrete fieri, intervenientibus amicis, nec ne, transfigendi, uel pacificandi, seu foenerandi uel societatis coendae gratia, seu de aliis quibuscumque cauſis, uel contyacibus conficiuntur (quae chrysien gracie appellantur) sive tota series earum manu contrahentium, uel notarii uel alterius cuiuslibet scripta fuerit, iporum tamen habeant subscriptiones, sive testibus adhibitis, sive non: licet conditionales sint (quos uulgo tabularios appellant) sive non, quas publice conscriptas si personalis actio exerceatur, suum robur habere decernimus. Sin autem ius pignoris uel hypothecae ex huiusmodi instrumentis vindicare quis sibi contendere: eum, qui instrumentis publicis confectis iniit, praeponi decernimus; etiam si posterior is continetur: nisi forte probatae atque integrae opinione trium, uel amplius uirorum subscriptiones eisdem idiochiris continentur: tunc enim quasi publice confecta accipiuntur.*

§. VI.

---

### §. VI.

Haec Leonina constitutio secundum nonnullos nihil ualeat aduersus hypothecas legales, quarum ne mentio quidem in lege facta suit, quae uero eodem cum hypothecis publicis et judicialibus iure aestimari atque adeo in creditorum concursu ex sola aetatis ratione una cum hypothecis publicis et quasi publicis collocari debent. Eorum autem, qui ita sentiunt, argumenta uerbis illustris FRIDERICI ESIAE PVFENDORFI\*), quam nostris, referre malumus, qui : *plane ratio, inquit, cur Leo imperator publicas hypothecas p[ro]ae priuatis scripturis fauore dignas duceret, in eo collocatur, quod priuatis instrumentis p[ro]aesumtio fraudis et clandestinitatis insit.* Legalis aetatem hypotheca ex lege, non ex priuato quodam instrumento uenit, ad eoque ius pignoris suspicione falsitatis omnino caret. Sed et si a ratione legis discesseris, tamen illud constare uidetur, Leonem Imperatorem hypothecis publicis p[ro]ae legalibus praerogatiuam nullam dedisse, adeoque legales eodem, quo antea, ordine constitisse, ut publica eam non p[ro]ecedat, sed utraque ex temporis prioritate aestimetur. Quam in rem accedit, si lex alicui prospiciat, plenissime et cum effectu prospectum intelligi. Hypothecis autem iunioribus publicis constitutis et praepositis omnis securitas, quam leges ex causa publice utili dant, facile interuertitur. Praeterea in hypothecis legalibus causa publice utilis intelligitur, inciditque, ut creditores, quibus haec hypotheca datur, sibi ipsi prospicere nequeant. Quam ob rem eundem fauorem legalis, quam publica hypotheca mereri uidetur, neque plerunque imputari creditori potest, quod de publica expressa hypotheca sibi non consuluerit.

\* ) In observationibus iuris uniuersi, Tom. I. obs. 211. §. 3.

### §. VII.

Quibus autem argumentis nullo modo mouentur permulti alii maxima[er]e auctoritatis iurisconsulti, qui, quoad uim  
B prioritatis

*prioritatis*, distinctionem inter hypothecas tacitas et expressas otiosam existimant ac propterea hypothecas legales inter species hypothecarum publicarum referendas esse constantissime negant. Obloquuntur iidem acutissimi alias LEYSERI argumentationi hunc in modum. Nimirum deesse, contendunt, consequentiae rationem, quia non omne id, quod legibus constituitur legumque publicarum habet fauorem ac propterea in significatione latiori *publicum* dicitur, statim efficit, ut rerum inter se dissimilium iura aequalia statuenda sint. Quoties enim leges disponentes unam dant efficaciam, plures non esse addendas, praesertim si agatur de iniuria et praeiudicio tertii. Satis esse, quod leges quibusdam creditoribus de iure reali adipiscendo prospexerint; eiusmodi autem leges recedere a regula, hincque iisdem plures effectus non esse vindicandos<sup>2)</sup>. Alii alio modo dissentientes, eos in primis, quorum argumenta in commate proxime antecedenti recensuimus, prementes affirman<sup>3)</sup>: Imperatorem Leonem hypothecas publicas, quum eas scripturis priuatis praeposuerit, ex ordine suo sustulisse, altiusque leuasse; legales autem hypothecas eo, quo antea fuerint, loco constitutas reliquisse; quare in constitutione Leonina publicis hypothecis praegalibus prerogatiuam aliquam omnino datam fuisse. Addunt, hypothecas legales, hypothecis conventionalibus priuatis aequales, tanquam *minus*, superari ab hypothecis publicis, tanquam a *maiori*, quoniam hypothecae publicae non tantum hypothecas conventionales priuatas, sed et legales eisdem aequales superant.

1) Supra laudatus WALCHIVS c. l. et §. in not. inter dissentientes nominat B. CARPOV, P. I. confit. XXVIII. def. 110. ; G. A. STRVV. exerc. XLIV. th. 54. ; FRID. GERDES disp. de pignore expresso, §. 21. ; I. BRUNNEMANN de concursu creditorum, cap. V. §. 48. ; I. F. LVDOVICI in *Concursus Procesis*, cap. X. §. 49. ; addimus : G. FRANZKIVM ad tit. D. qui pot. in pign. n. 10. LOACH. MVSINGER cent. I. obs. 59. ; G. F. HARRPRECHT. Vol. nou. Conf. 69. n. 89. ac denique I. I. BECKIVM in diff. de *concursu hypothecarum simplicium*, §. 14. .

2) Ex

- 2) Ex hisce rationibus LEYSERI sententiam impugnauit ERN. IO. FRID. MAM-  
ZEL in diff. de duobus uel tribus iuris benefis in hypothesis, intimationibus  
et appellationibus subsidiariis adhibendis, Seſt. I. §. 14. p. 12.
- 3) Eam in rem, teste illustri PUFFENDORE, c. I. §. 4. in concursu hy-  
pothecae legalis et conuentionalis utriusque tempore prioris, et hypothe-  
cae publicae tempore posterioris iudicauit summum tribunal Cellense.

### §. VIII.

Consultissimus BOEHMERVS\*), ad cuius auctoritatem iam  
saepius prouocauimus, inter LEYSERVUM affirmantem et HARR-  
PRECHTVM negantem arbitrum quasi aucturus hac de re ita iudi-  
cauit, ut neutri sententiae simpliciter se suffragari posse affir-  
maret. Videlicet distinguendum esse censuit optimus hic sui  
temporis in Germania iuris Romani interpres in hypotheca le-  
gali, utrum ea accedat contractui et negotio, publico instrumen-  
to seu apud acta aut coram Notario uel subscriptione trium  
uirorum probatae fidei munito, an priuato tantum instrumen-  
to confecto. Non in posteriori euentu, sed in priori, ubi  
tempus certum est, hypothecae legali eandem ac hypothecae  
publicae praerogatiuam attribuit et distinctionem hanc ex-  
emplis variis legibus illustravit.

\*) In saepius allegata diff. de praerogatiuam hypothecarum publicarum, cap. I.  
§. 14. lq.

### §. IX.

En igitur, amice Lector diuersas diuersorum sententias!  
Elige ex iis, quaeſo, eam, cui dicas: tu mihi ſola places. Nos,  
ut iuuenes decet, non iudicamus, eoque minus (licet hoc a  
multis factum fuifle recordemur) temeritatis ſingendi eos accu-  
ſamus, qui noſtra inprimis aetate hypothecis legalibus locum  
inter hypothecas publicas affignant, ſicque theſin aliquam de-  
fendunt, quam paſſim ipsae Germanorum leges roborant.  
Nam I) iure ONOLDINO clare fancitum legimus<sup>1)</sup>: wenn hy-

potbecae legales oder tacitae und conventionales publicae concurriten,  
 so gebet allezeit die ältere an der Zeit der jüngern vor. Euolua-  
 mus, quantum temporis ratio scriptionisque academicae con-  
 ditio patitur, alia quoque Germanorum statuta, nobiscum a fau-  
 tore quodam beneuole communicata, ex quibus quidem non-  
 nulla II) hypothecas tacitas, quae iure Romano continentur,  
 disertis uerbis confirmant, eas uero hypothecis expressis post-  
 ponunt, u. c. REFORM. FRANCOR. ubi cautum<sup>2)</sup>: dass alkweg  
 die austrückliche Verpfändungen den stillschweigenden sollen vorge-  
 zogen werden. Neque etiam LEGES MELBOCENSES PROVINCI-  
 ALES<sup>3)</sup> non assentuntur. In compluribus autem aliis statutis  
 III) distinctio haec inter hypothecas tacitas et expressas quo-  
 ad ius prioritatis penitus sublata est, adeo, ut cuiusvis gene-  
 ris hypothecae sine ullo discrimine ex solo aetatis ordine lo-  
 canda sint. Hunc in modum CODEX MAXIMILIANEVS BAVA-  
 RICVS CIVILIS sancti<sup>4)</sup>: das Prioritaets-Recht, kraft dessen ein  
 älterer Pfandglaubiger dem jüngern in Concursu vorgebt, kommt  
 nicht nur auf Jahr, Monat und Tag, sondern auch, so weit sol-  
 ches nur erwiesen werden kann, auf Stund und Augenblick an,  
 und zwar ohne Unterschied der Pfänder, sofern nicht eines von dem  
 andern nach Ausweis des Cod. iud. ein besonderes Ius praelationis  
 hat. Clarior rem exprimit, praeter Ordinationem iudicialem Gotbanam<sup>5)</sup>, ordinatio processus Sax. eleitoralis,  
 in qua sic constitutum est<sup>6)</sup>: Alle diese Glaubiger, welche ein ding-  
 lich Recht absque priuilegio haben, sollen der Zeit und Ordnung nach,  
 wie sie solch ihr Recht angefangen, vor denen andern bezahlt und  
 hierbey des Vorzugs halben kein Unterschied gehalten werden, ob  
 einer solch ius pignoris aus Verordnung der Rechte stillschweigend  
 oder durch einen Contract ausdrücklich oder durch Hülfe oder durch  
 Arrest erlangt habe, sondern wie einer vor dem andern dasselbe  
 überkommen, also werden sie auch nacheinander bezahlt. Nec  
 ab his dissentunt quaedam Circuli Franconici statuta, iis ex-  
 ceptis, quae in iuribus Saxonici uel de pignore praetorio  
 uel

uel de arresto sancjuntur. Speciminis gratia afferamus uerba cuiusdam CONSTITUTIONIS CULMBACENSIS<sup>7)</sup>, quae ita se habent: *das ius in re*, es rübre her aus einem stillschweigenden oder ausdrücklichen insgemein oder insonderheit versobriebenen Pfand, oder auch aus wirklich erfolgter gerichtlicher Hilfe und Einweisung, worunter aber die bloße Arrest-Anweisung nicht zu verstehen, hat den Vorzug nach der Zeit also, dass, wer dem andern mit dergleichen Mittel zuvorgekommen, sich der Praeferenz vor dem andern in dieser dritten Classe zu erfreuen hat, obgleich die nachfolgenden hypothecarii vor den Aeltern den Besitz eines Guts ergriffen hätten. Concordat REFORMATIO NORICA<sup>8)</sup> uerbis: also behält auch der den Vorgang, wenn ausdrückliche oder stillschweigende Verpfändungen vorgewendet würden, des Verpfändung älter ist, ausgenommen etlicher Fall, die bernach in volgenden Gesetzen erzehlet werden.

1) vid. Instrukcion und Ordnung, wvornach man sich bey denen Aemtern und Gerichten des Fürstenthums Brandenburg - Onolzbach bey sieb ereignetes Conours-Fällen zu achten etc. Ille Clas, n. 10; p. 25.

2) P. II. tit. XIX, cf. tit. XX, §. 3. Eadem Ref. Francofurtana cit. P. II. tit. XIX. §. 9. ita sancire pergit: doch ist zwischen den austriüklichen und diesen stillschweigenden Pfandschaften der Unterscheid, dass die austriükliche Pfand anders nicht, dann mit ihrer darauf stehenden Beschräckung (das ist der Pfandschaft) mögen veräusert werden; die stillschweigende aber mögen (wenn sonst kein betrießliche Gefährt gebräucht wirdt) wolt veräusert werden, wosfern kein Verbot oder Arrest darauf gescheben. Dann dieselben einer General- und gemeinsamen Verpfändung, so auf alle Güter, keines aber insonderheit, sich erstrecket, und dervveegen die Veräußerung nicht bindet, verglichen verzeihen. Dieveil dann nun selbs alles die Rechte demassen verordnet: so wullen wir es auch in dieser Statt also gehalten haben. Hunc in modum rogari legem potuisse lubenter quidem concedimus negamus autem, alienationem rerum immobiliarum pignoris iuri legalis obnoxiarum secundum leges Romanas licitam esse. Nam Imperatores Diocletianus et Maxim. in l. 12. Cod. de distract. pign. generatis constituerunt: si debitor rem tibi in re pignoris obligatam, te non consentiente, distractit, dominum cum sua causa transfluit ad chtorem. cf. simile horum Imperatorum placitum in l. 15. Cod. de pign. et hypothc.

3) P. I. cap. 14. §. 20.

B 3.

4) P. II.



4) P. II, cap. 6. §. 4. et 13.

5) P. I, cap. 18. §. 9.

6) tit. XLIV. §. 2.

7) in corp. *Conſt. Brandenburg. Culmb.* Tom. II. P. I, cap. 5. Sect. I. p. 216.

8) tit. XXII, leg. I. §. 3.

## §. X.

Haud pauci autem legum Germanicarum conditores, rebus praesertim immobilibus<sup>1)</sup> oppigneratis, nullos alios inter se concurrentes creditores, nisi quibus publice, id est, coram proprio, non alieno, iudice aut magistratu ius pignoris rite constitutum fuerit, praerogativa aliqua dignos esse censent, quo quidem iure prouido Romanorum placitis aperete derogatur, creditorum autem securitati sapientissime prospicitur. Hoc iure uiuit in terris Saxonici<sup>2)</sup>. His quoque legibus gubernantur homines, qui potentissimo pariter ac sapientissimo Borussorum regi sunt subditi. Rebus uero ita comparatis facillimum est intellectu, tacitas, quae iure Romano indulgentur, hypothecas in eiusmodi terris nihil habere momenti aut praerogatiuae, nisi eadem publicos in commentarios, *Hypotheken - Bücher*<sup>3)</sup> dictos, relatae fuerint. Etenim: zur dritten Classe, clarissimis uerbis ius antiquum correcturus fancit legislator sumimus<sup>4)</sup>, gebören diejenigen Creditores, welche ihre Schuld-Forderung oder Recht in das Hypotheken-Buch eintragen lassen, und geben diese allen Creditoren, welche nicht zu denen beyden vorigen Classen gehören, sie mögen nebst der Hypothec ein Priuilegium personale haben, und judiciales s̄eyn oder nicht, vor: Allermassen in ſo weit die vorige Hypotheken-Ordnung bierdurch geändert wird. Denn da die Hypotheken-Bücher dieserwegen eingeführet worden, damit ein jeder


jeder, welcher Geld auf ein Guth leyben, oder seine Sicherheit wegen einer Ebesiftung, Vormundschaft etc. haben will, vergewissert seyn möge, ob und was vor Schulden auf den Güthern bestan; so würde die Haupt- Intention derer Hypotheken - Bücher wegfallen, wenn die stillschweigende Hypotheken, dominia referuata, iura separationis, fideicomissa familiae, dos, pia cauſa cet. worvon in dem Schuld - Buch keine Nachricht vorhanden, vorgehen sollten; in mehrerer Erwiegung, da dergleichen Creditores sich selber imputiren müssen, dass sie ihre Iura nicht gleichfalls eintragen lassen, und ihre Sicherheit dadurch gesucht haben. Quae igitur pignora uel coram Notario et testibus, uel in instrumentis a tribus integrae fidei uiris subscriptis constituantur, atque ex mente iuris communis hypothecae publicae uel quasi publicae nominantur, ea ipa in terris Saxoniciis et Marchicis ac ubique locorum <sup>5)</sup>, in quibus similes de re pignoratitia constitutiones adsunt, ad classem hypothecarum priuatarum referre debemus <sup>6)</sup>. Cuidam igitur ex me subtiliter quaerenti: qualem his in locis uim habeant hypothecae tacitae uel quasi publicae? Nullam aliam, respondeo, quam uim hypothecae priuatae, nisi eadem haec hypotheca legalis uel quasi publica in publicos praefecturae libros relata fuerit. Evidemt libentissimi quibusdam concedimus, iis in locis, ubi placita iuris Romani sine ulla restriktione in usu sint, hypothecas legales publica iudicis uel magistratus confirmatione opus non habere; alibi uero secundum iuris domestici analogiam ius prioritatis inde repetiti posse haud existimamus, nisi iudicialis annotatio hypothecae legali accedit. Etenim tales hypothecae actis publicis non insertae haud raro non solum creditorem sed et iudicem ipsum latent, atque adeo fidei publicae tuendae cauſa (en praecipuum huius rei argumentum!) in praefecture aduersariis adnotandae sunt.

1) Res

- 1) Res immobiles, quarum possessio domino insignia afferit comoda, iam maiores nostri uix alter oppignerarunt, quam in iudicio et accedente magistratus consensu, quemadmodum praeceptor HEINRICIVM supra laudatum reste obseruauit Vir illuiris BENEDICTVS SCHMIDT, iurium Professor in Academia Ingolstadiensi fama celeberrimus, Patronus, Praeceptor et Cognatus aeternum decunerandus in principiis I. G. Tit. LX. §. I. p. 673. Hinc mirum non est, recentiori aetate ex jurisprudentia legislatoriae principis sanioribus plurimos in Germania legum conditores constituisse, ut rerum immobilium oppigneratio perinde ac eorum rerum alienatio judiciali auctoritate perageretur. Qua de re consulendus est omnino iuris Germanici genuini scriptor princeps, illustris de SELCHOW in elem. I. G. edit. nouiss. §. 551.
- 2) Sächs. Land Recht lib. I. art. 8o. et 52. Sächs. Weichbild, art. 20. Conf. Sax. Elef. XXIII. P. II. et decis. LX. Fürstlich-Sächs. Lands-Ordnung 1589, tit. 30. Sachs. Eisenach. Verordn. 14. Apr. 1642. S. Gothaische P. Ord. p. I. cap. XVIII. §. 9. S. Altenturm. Proc. Ord. p. I. tit. 37. §. 15. S. Coburg-Salfeld. Conf. de 16. Jul. 1735.
- 3) De huiusmodi diariis publicis omnino legi merentur, quae in medium protulit Cl. I. A. HELLFELD, ICTORUM lenensium decus, in repertorio reali practico iuris priuati I. R. G. sub rubro: Hypotheken-Bücher, pag. 1920. seqq.
- 4) In dem Project des Cod. Frid. March. p. IV. tit. IX, apud HELLFELD in repertori. p. 1894.
- 5) Consentientem habemus BOEHMERVM in cit. diff. depraerog. bsp. publ. cap. II. §. 5. Quodsi hanc rem in uniuersum consideraturi eandem ex principiis iuri ciuilis uniuersalis principis diiudicamus, non possumus non assensum praebere summo olim LEYSERO, qui sp. 230. m. I. auctor est fusiforme, ut legislatores, abrogato iure Romano, hypothecis testimonialibus uel uim pignoris publici plane admant, uel falso hypothecas iudiciales iisdem anteponant. Illud etiam passim iam factum tuisse scimus ex Saxonum aliorumque uicinorum populorum legibus, quarum LEYSERVS meminit, quasque allegat Cl. Io. FRID. KOAVIS in commentatione de pecunia mutuaticia tuto collocanda, Goett. 1761. 4. p. 99. seq.
- 6) Sic iure Norico cautum reperimus, ut orto in municipiis agrisque creditorum concursu hypothecae priuatae, tempore liet priores, hypothecis publicis tempore posterioribus cedere debeant. Vid. decretum additionale d. 2. Aprilis, 1677. apud I. I. BREKIVM in cit. diff. §. VII.

T A N T V M.





*Literatur*

ULB Halle 3  
002 408 120







12 1773, 4  
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

DE

HYPOTHECARVM  
LEGALIVM  
PRAEROGATIVA

R. 1906.  
QVAM

AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
AC DOCTORIS PRIVILEGIA  
RITE OBTINENDI

DISCEPTATIONI PVBLICAE

DIE XXX. MART. A. S. R. CLOIXCCCLXXIII

PROPOSUIT

M. FRANCISCVS XAVERIVS SCHMID  
RAITTENBVCHENSIS FRANCO,

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLI MEYERI.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

